

¶ XX. 102. Sic tota interdum Concio Auditorum insignitur titulo Electorum, Sanctorum; respectu excellentioris partis.

103. Hinc est quod ipse Antichristus dicitur sedere in ipso templo Dei, 2. Thess. 2, 4. hoc est, in Ecclesia: non sanè, quod ipse sit vera Ecclesia vel ejusdem membrum: Sed duntaxat propter veras vera Ecclesie reliquias, quas etiam sub medio Antichristi regno Deus sibi servavit, ut non curvarent genua coram Baal.

104. Quid? Quod ipse Paulus suo tempore scribens ad Ecclesias & civitates conversas, vocavit eas sanctas: cum tamen, eodem teste, tum modo ipse Antichristus in medio ipsorum mysterium iniquitatis operaretur, 2, 7.

105. Quod si igitur Ecclesie sanctae dici potuerunt, in quibus Antichristus ipse modo regnare ceperat: ipse vero Antichristus sanctus propterea minime fuerat: manifestum est, Sanctitatem Ecclesia tributam, ex aequo non competere omnibus vocatis promiscue: & malos Bonis semper fuisse admixtos.

106. Caterum in Attributi hujus enodatione, illa per quam classica sese offert Quaestio: An Ecclesia erret, aut errare possit?

107. Negativam per omnia, simpliciter & absolute tenent Adversarij, Doctores Pontificij.

108. Sed breviter res expediri potest: ut negemus Ecclesiam errare: & simul etiam eandem errare posse affirmemus: diverso respectu.

Errare